C enim magis gaudent flore. Copia istius examina facillimè continentur. Idem præsentissimum est contra ictus earum uesparumq́, & araneorum, item scorpionum, remedium. Item contra uuluarum strangulationes addito nitro. Contra tormina è uino. Folia eius strumis illinuntur, & sedis uitijs cum sale decocta. Succus fœminas purgat, & inflationes discutit, & ulcera sanat. Articularios morbos sedat, canisq́ morsus. Prodest dysentericis ueteribus, & cœliacis, orthopnoicis, lienibus, ulceribus thoracis. Caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur.

EX SYMEONE SETHI.

Ad stomachi ex frigiditate morsus, & à nigra bile tristitias & timores qui sine ratione ex illa fiunt, confert. Hilaritatem efficit, & ad melancholicũ ac pituitosum humorem prodest. Fertur quod industriam afferat, & quod ante somnum sumptum, bona somnia faciat, contraria ratione cum Brassica, quæ mala insomnia affert, Bubones lædit.

DE MARATHRO. CAP. CXC.

NOMINA.

Marathrum cur appellatum.

Fœniculum.

MAPAΘΡΟΝ græcè, Fœniculum latinè, officinæ antiquum & latinum nomen retinuerunt, Germanicè Fenchel dicitur. Marathrum Græcis dictum putant à marcescendo, quod ad cõdienda plurima cum inaruerit cõmendatissimum sit. Fœniculum autem dici existimant, quod satum magno cum fœnore semen reddat.

FORMA.

D Fœniculum ferulacei generis est, hominisq́ plerunq́ proceritatem superat, caule geniculato, fungosa intus medulla, leui exterius cortice & herbaceo, folia Abrotoni, sed longiore molliorique, iucundo odore, umbella rotunda, ampla, lutea, in orbem radiatim circinato, in qua semen nudum dependet, radice candida, longa & odorata.

LOCVS.

Passim in hortis satum prouenit. Sua etiam sponte interdum ceu Anethum nascitur.

TEMPVS.

Colligitur caule turgescente. Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Fœniculum tam ualenter excalfacit, ut ex tertio ordine excalefacientium censeri possit. Exiccat uerò non æquè, sed ipsum quispiam in hoc primi esse ordinis posuerit. Proinde lac procreat, quod, si admodum desiccaret, non sanè efficeret.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Fœniculi herba comesta mammas lacte replet. Idem potest semẽ potum, aut decoctum cum ptisana. Comæ decoctum subditum impositúmue, renum & uesicæ uitijs utile: quippe quod urinam ciere potest. Contra serpentium ictus in uino potum prodest. Menses ducit. In febribus nauseam, & stomachi ardorem ex aqua frigida potum, sedat. Radices contritæ & cum melle illitæ, morsibus canum medentur. Succus caulibus & folijs expressis in sole siccatus, medicamentis quæ ad excitandam oculorum aciem cõficiuntur, utiliter adijcitur. Extrahitur etiam succus ex semine uiridi, folijs, ramulisq́, ad eadem utilis. Radix in prima germinatione exprimitur. In occidentali Iberia liquorem gummi similem reddit. Caulem medium dum herba floret incolæ demetunt, igniq́ admouent, quo facilius ui caloris exudans gummi remittat. Hoc efficacius succo est ad medicamenta oculorum.

EX GALE-



FOENICVLVM